



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

III. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Clara Regis Æthiopiæ filia, Ordinis S. Dominici, plerumque flexis ante iconem Deiparæ genibus orans reperiebatur, ut ei similior plus placeret, votum vovit Virginitatis; hanc ut certius tueretur, Religionem ingressa severe corpus castigavit. A Jesu & Maria quotidie visitata, & togâ pretiosâ è materia cœlesti amicta est. *Razzi in Hist. Æth.* Prima stola gratiæ nunquam temerata hanc vestem meretur.

S. Clara quam Deus è gentilitatis nocte non modò ad lumen veræ fidei, sed & ad tantæ sanctitatis splendorem vocare dignatus est, ora pro me, ut ubi oculis meis tenebras mors affuderit, Maria mihi gratiâ suâ subveniat, & inter vestitos veste nuptiali constituat. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. f. 190.

Ad quod impetrandum aliquam Urbis hujus, quam incolò, celebrem Mariæ iconem invisam, & salutabo, si remotiorem adire nequeam.

Causa formalis nostræ recreationis est Beatissima Maria, quia omnibus suæ Deiformissimæ conversationis speculum & exemplum est *S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 20.*

Quæstio: An Elizabeth ipsa, vel per ipsam Joannes ex utero Deiparam salutaverit? *v. Theophil.*